

Rever. V. Dñe & Amice observande.

Quod serius remittam falkut, accedit partim quod injuriâ tempo-
ris hyberni, quo omnia constringuntur, nullæ naves ad vos concesserint;
partim, quod inscriptionis Magnifici nostri Rectoris, quæ ut titulo
præfigeretur a Senatu decreta est, compos fieri nequiverim hactenus.
Veniam igitur mihi facile dabis, si ejus defectu studys forte tuis
remora injecta.

D. Falconarius dicitur successus apud nos in locum D. Cluppenbur-
gy p. m. aut saltem successioni ab Amplis. DD. Curatoribus desi-
gnatus. ~~Te~~ rei veritatē non licuit mihi anxie inquirere, quum
non ad miseret id hactenus luctus, quem modò nobis attulit & mor-
bis & obitus dilectiss. nostræ foris, quam proximis huc diebus
renum dolores intensissimi vehementer excruciarunt & tandem
enecarunt. Ego ut de successu vocationis Falconary nullus dubito,
ita à te erudiri exopto, si ipsum noveris, quid de vita, moribus &
doctrina ejus sentias. Eius successor sit D. Schotano, adhuc in
incerto est, rogatus ille ab Amplis. Novemviris, ut interea operam
suam negare nolit, quo de successore idoneo illi substituendo serius
ipfi cogitent. Tu si noveris virum honestum & doctum, velim
mihi eum perferbas & describas.

De Banckio valde sinistra apud nos fama fuit credo etiam
apud vos, quasi secretatem cum Diabolo contraxisset. Deus meliora.
Vita ejus, ut nosti, satis hactenus suspecta fuit, verum de hoc
necdum quid intellexeram. Consulibus nostris à superioribus in
mandatis datum, ut testes super hoc negotio exaudiant. Videntur
id moliri DD. Proceres, ut ipsam loco moveant. Id non ita pridem
plenis verbis vir magnæ auctoritatis mihi pro certo retulit.
Sed quid inde fiet, eventus docebit. Deum rogo, ut seminaria
sua purget, ne nomen ejus sanctissimum propter nos blasphemetur.
Ejus divinæ protectioni te tuosq. omnes, quos nomine nostro salu-
tabis, cum omnibus pps commendo. Vale. Salutant te officiosi collega
Dabam Franckew Marty elsq.

Cl. T. Studiofiss.

Bernhardus Fullenius.

[Faint, mostly illegible handwritten text in a historical script, likely Latin or German, covering the upper two-thirds of the page.]

[Faint handwritten text at the bottom of the page, including a date and a signature.]

*781. am
must day book*

*Reverendo Clarissimo ac doctissimo
D. Johanni Loezio S. Theol.
Doctori et Professori in Universitate
Lugduno-Batava, Salutem et amorem
plurimum habendo.*

